



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Bellegambe è Societate Jesu Theologi,
Enchiridion Theologo Practicum Tripartitum, De Ivbilæo
Ecclesiastico**

Bellegambe, François

Coloniæ Agrippinæ, 1700

Q. 4. Quid intelligatur per satisfactionem partis, de quâ loquuntur Bullæ?

urn:nbn:de:hbz:466:1-42093

244 P. 3. De Jubileo extraordinario.

Q. 3. A quibus Censuris possit dari absolutio?

R. Ab omnibus Excommunicationis, Suspensionis, & aliis Ecclesiasticis Sententiis & Censuris, à jure vel ab homine quavis causâ, latis seu inflictis.

Non possunt tamen absolvi aut aliis favoribus frui ii, qui à Summo Pontifice & Apostolicâ Sede, vel ab aliquo Prelato, seu Judice Ecclesiastico, excommunicati, suspensi, interdicti, seu alias in Sententias & Censuras incidisse declarati, vel publicè denuntiati fuerint, nisi infra tempus dictarum duarum hebdomadarum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint. Ita Bullæ.

Q. 4. Quid intelligatur per Satisfactionem Partis, de quâ modò loquebantur Bullæ?

R. Per Satisfactionem intelligitur restitutio honoris, famæ, bonorum, &c. ob quorum læsionem fuerat quis excommunicatus, suspensus, &c.

Nomine Partium, cum quibus est concordandum, intelliguntur illi, ob quo-

quorum læsa bona fuit quis excommunicatus, &c. non autem intelligitur Judex excommunicans, &c. Poterit ergo dari absolutio antequàm solvantur jura Judici, seu Tabellioni, Fisco, &c. Suarez De Censur. disp. 7. sect. 5. n. 47. Diana p. 1. tr. 11. R. 22. Tambur. de Casib. reserv. c. 12. §. 4. n. 13.

Q. 5. Quid, si Pœnitens non possit satisfacere. Parti?

R. Poterit absolvi. Diana ibid. R. 24. cum Barbosâ, Vasquez, Coninck, Vegâ, & aliis communis. Debet tamen præstare cautionem vel pignoratitiam, vel fidejussoriam, aut saltem juratoriam, pro rei qualitate. Diana, Gobat n. 269. cum Suarez, & aliis. Imò sufficere pro foro interno, firmum propositum satisfaciendi cum poterit, docet Diana p. 2. tr. 2. miscell. R. 44. cum Navarro, Henriquez, Joanne Valero, dicentibus aliam cautionem requiri solum pro absolutione in foro externo. Et id.